



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Approbatio Theologorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

Approbatio Theologorum.

VSSV admodum Reuerendi Patris, Ioannis Sebastiani, Præpositi Prouincialis Prouinciæ Peruanæ, Societatis IESV, ego Andreas Hernandez, eiusdem Societatis, Professor Theologiæ in hoc nostro Collegio Limensi, vidi, & accuratè perlegi hos quinque libros, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, compositos per Reuerendum admodum Patrem Iacobum Alvarez de Paz, Theologum dictæ Societatis, ac dicti Collegij Rectorem: In quibus nihil reperi fidei vel bonis moribus aduersum. Immò omnia tantâ cruditione ac pietate plena, vt quæ de Vitâ spirituali, eiusque perfectione tot Patres aliis & aliis locis tradiderunt, cuncta in eis mirâ conuenientiâ & facilitate iungantur. Quare censeo ad magnam Dei gloriam & Christianæ reipublicæ emolumentum fore, maximè autem ad perfectionis studiosos (quos præcipuè hoc opus instituit) conducere vt imprimantur. Lima, in Collegio D. Martini, duodecimo Kalendas Decembris, anni millesimi sexcentissimi decimi.

ANDREAS HERNANDEZ
Professor Theologiæ.

EX præscripto Reuerendi admodum Patris, Ioannis Sebastiani, Prouincialis huius Peruanæ Prouinciæ, vidi hos quinque libros, *De Exterminatione mali, & promotione boni*, Auctore P. Iacobo Alvarez de Paz, Societatis nostræ viro: miratúsque sum scælix hominis in asceticis ingenium, animi pietatem, summamque in omnibus tanto Patre dignam sapientiam: Nihil est, quod aut ad compescendos prauos animi motus strenuè non tractet; vel ad Virtutem asserendam incredibili studio non euoluat, comparandus cum eis omnibus, qui his de rebus appositè differentes virtutis imperium & propugnarunt, & prouexerunt. Quare tantum opus id esse censeo, quod publicâ luce dignum profectò sit. Lima, decimo tertio Kalendas Decembris, anno 1610.

IOANNES PERLINVS
Theologiæ Professor.

EX præscripto Reuerendi admodum P. Ioannis Sebastiani, Præpositi Prouincialis Societatis Iesu in hac Prouinciâ Peruanâ, vidi, ac perlegi hunc secundum Tomum, *De Exterminatione mali, & promotione boni*, alteros quinque libros complectentem, Auctore Reuerendo P. Iacobo Alvarez de Paz, eiusdem Societatis, quondam sacre Theologiæ, diuinarumque litterarum publico Professore: In quo non solum omnia reperi fidei Catholicæ, sacre paginæ, doctrinæ Sanctorum Patrum, perfectioni Religiosæ, & bonis moribus conformia; verum & utilissima, & viris Religiosis ad propriam perfectionem consecrandam, & diuini verbi concionatoribus ad proximorum salutem iuuandam. Quare dignissimum censeo, vt in lucem prodeat hic nouus Auctoris labor, ex quo, vt priorem magnitudine, & rerum varietate, excedente, vberior fructus ad Dei obsequium sperari potest. Lima, pridie Idus Septembris, anni millesimi sexcentissimi decimi.

FRANCISCVS DACA
Theologiæ Professor.

CVM summâ sint in laude ponendi, qui scribendis spiritualibus libris operam sedulò magno cum emolumento nauarunt; meritissimò quidem eâ erit laude maectandus Reuerendus Pater Iacobus Alvarez de Paz, cuius libros *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, per otium contemplatus, expectationem de tanto viro iam conceptam olim illis explendam cumulatissimè arbitror. Sunt enim, & si nullus dixerim, iis, qui ad spirituales hasce res animum appulerunt, ni miopere necessarij. Hic de re asceticâ Sanctorum sensa penitissima: hic in cupiditates imperium, & Perfectionis apex religiosâ, pietate summâ, iuxtaque tanto auctori perspicuitate innatâ, illa enucleantur acutè, ista docentur elucidiùs. Quamobrem prælo mandandos in commune Christianorum mentium emolumentum iudicavi. Linæ 11. Februarij, anni 1611.

FRANCISCVS DE CONTRERAS
Philosophiæ publicus professor.

*Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV,
in Prouincia Lugdunensi.*

LVDOVICVS MICHAELIS, Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis, Henrico III. 10. Maij, 1583. & Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt Opus quod inscribitur, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, auctore R. P. Iacobo Alvarez de Paz, è Societate Iesu, Theologo, ad sex proximos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Lugduni, 5. Octobris. 1611.

MICHAELIS.

R. D. D. THOMÆ DE MESCHATIN-LA FAYE,
huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN-LA FAYE, Comes, Canonicus & Cantor Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus quod inscribitur, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, auctore R. P. Iacobo Alvarez de Paz, è Societate Iesu, Theologo, à Theologis recognitum, vt in lucem edatur, facultatem concedimus. Lugduni vltima die Octobris, 1612.

MESCHATIN-LA FAYE.

SVMMA